



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De donis Spiritus sancti. Cap. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)



1. **P**ostquam de Virtutibus, quantum propositi nostri ratio exigere videtur, actum est, de Donis Spiritus sancti, de fructibus, & beatitudinibus proximis capitibus agemus: ut Fratres nostri, quibus à Deo bonis augeantur, & ad progressum incitentur, agnoscant: & tantarum diuitiarum iacturam reformident. Hoc ergo capite Spiritus sancti dona percensere operæ pretium erit.

2. Præter honestatem, opulentiamque virtutum Theologicarum, moraliumque infusarum, & acquisitarum, opus fuit, hominem agrum, & virtutibus uti, pro earum dignitate, minime valentem, additis Spiritus sancti donis expediri.

3. Sunt autem dona hæc habitus hominem perficientes, ad hoc, ut institutum atque motionem Spiritus sancti promptè sequatur: quemadmodum & virtutes sunt habitus hominem perficientes, ut rationis imperio, seu motione promptè ducatur.



4 Nobilitas donorum post Theologicas virtutes, maior, quam virtutum omnium reliquarum est. Ordinis vero ratio est: quia Theologicis virtutibus homo sociatur ipsi Deo mouenti: donis vero perficitur, ut ad Deum, tanquam ad finem moueatur: virtutibus autem moralibus excolitur, vel in ordine ad finem principiaque supernaturalia, quod est infusarum, vel naturalia, quod est acquisitarum, quae postremam dignitatem obtinent.

5 Sunt autem numero septem caelestia dona haec; donum scilicet sapientiae, intellectus, consilij, scientiae (quae sunt in intellectu) donum pietatis, quod est in voluntate, donum timoris, quod iuxta Sanctum Thomam est in concupiscibili, licet alijs aliter videatur, donum fortitudinis, quod est in irascibili: ut omnes hominis partes, quae virtutibus perficiuntur, donis quoque ad opus expediantur.

6 Similitudo apta est structura curruum duci potest: postquam enim rotis, ac ceteris partibus muniti sunt, habent sane instrumenta, quibus agi possint:



at nisi oleo ungantur, & grè trahuntur, sic homo virtutibus, quasi rotis, ad motum comparatis instructus est; at nisi oleo lætitiæ leniatur, agi nequibit: Vnde patet, quàm proprie unctiōem Spiritui sancto tribuamus, sicut scriptum est: Spiritus Domini super me, eo quòd unxit me. Sed iam cuiusque doni vim describamus.

7 Donum intellectus perficit rationem speculatiuam, vt diuinas veritates apprehendat: Consilij verò donum rationem practicam perficit.

Sed post veritatū diuinarum conceptionē, vt homo de rebus diuino modo iudicium ferat, media sapientia, ratio speculatiua, scientia verò ratio practica perficitur, & hæc quo ad intellectum.

Appetitum autem rationalem, hoc est voluntatem, pietas perficit. Concupiscibilem verò cōtra inordinatam delectationem timor, sed irascibilem, contra timorem periculorum perficit: fortitudo.

8 Sic autem exponi possant: Donum intel-



intellectus, præter fidei lumen confert, ut potentia intellectus, veritates à Deo reuelatas facilius, quam per solam fidem ex Spiritus sancti instinctu capiat: Cōsiliū, ut quid fieri oporteat, ex motione Spiritus sancti certius inueniat: Sapientia, ut per eiusdem Spiritus impulsū per regulas diuinas, scientia, ut per regulas humanas de rebus diuino modo iudicium ferat. Pietas voluntatem afficit, ut erga Deum, quasi Patrem affectu filiali prōpre moueatur, & quæ Dei sunt; ut sanctos, sacram Scripturam, pauperes colat: timor concupiscibilem à delectationibus singulari modo, propter Deum coercet; fortitudo irascibilem diuino modo contra pericula erigit.

Actus horum donorum proprii, nō sunt vsque adeo vulgares, ut passim eliciantur, nec iuxta communes morum regulas semper iudicandi sunt: Theologi enim, cum aliquid, præter mores, quod non temere imitari quisque possit à viris sanctitate claris efficitur, his donis, per motionem Spiritus sancti pe-



culiarē attribuunt. Sic in scriptura, infolita multa proponuntur, quæ Spiritus sancti singulari vi, ac lumine, à Sanctis præstita fuere: quæ sine donis minimè præstitissent.

10 Cum ad littus Rubri maris substitisset Israel, & Moyses præcipiente Deo, aquas intercidisset, cæteris ad prodigiū illud cohibitarum aquarum alueum ingredi trepidantibus, Aminadab fortitudinis dono excitatus irrupit. Samson eodem vsus dono, columnas templi Philistæorum concussit: David cum leone, vr̄ 10, Goliath, Philistæo congressus fuit: & alij ex gente illa simili Spiritus sancti vi alia perfecerunt.

Ecclesiæ verò exempla, & innumera, & illustrissima extitere; qualia omnes illi præbuisse videntur, qui, non pertracti, sponte sua, se flammis vel fornacibus calcarijs, vel feris, impetu Spiritus sancti obiecerunt.

11 Donis sapientiæ, & scientiæ, quæ per singularem Spiritus sancti impulsū ad ferendum iudicium conferunt, tribui solet iudicium, quod tulit Salomon, quando infantulum, quod duæ meretrices



trices sibi vindicabant, interfecari iussit  
 & matrem dignouit: non enim sine Spi-  
 ritus sancti lumine, tam sapienter agere  
 potuisset, præsertim, cum iuxta multo-  
 rum Patrum sententiam, duodecim tã-  
 tum esset annorum.

Eiusdem Spiritus impulsu Daniel  
 puer, cum Susanna ad supplicium tra-  
 heretur, de duobus senibus iudicium  
 stuporetotius populi sapientissimum,  
 tulit.

12. Dono consilij tribui meritò possunt  
 quæ clarissimi sancti dementiam, ve-  
 rusticitatem simulantes egerunt: cuius-  
 modi fuit nobilissimus ille Philoso-  
 phus Alexander cognomento Carbo-  
 narius, & sanctus Alexius Roman<sup>o</sup>. Sed  
 & perfecta mundi renunciatio, qua quis  
 diuitias, & honores & voluptates omni-  
 nò contemnit, Spiritus sancti consilio  
 congruit.

13. Dono timoris, permoti, multa in ca-  
 stitatis cultu, & occasionum fuga, vel vi-  
 ctoria sancti prodigiosè patrarunt. qua-  
 lis fuit ille, qui pacto pretio scortorum  
 noctes emebat, & nocte tota vigilans; &  
 Deo iuxta impudicum lectum castis-  
 sime



sime vacans, peccata lenonum prohibebat: concupiscentiam quippe Dei timor validissime superauerat.

13. Dono etiam pietatis (quo Deus tanquam pater, & sancti, & alia quæ ad Dei cultum spectant, coluntur) tribui possunt plurima insolita, quæ ex ijs affectibus prodibant, dum sancti se publicantes, & tyrannos maledictis exagitantes, pro Deo, pro sanctis imaginibus, & alijs sacris decertabant.

15. Hæc eò spectant, ut fratres nostri animaduertant, viros spiritui diuino parentes, multa palam efficere, quæ si carnis oculis cernenda forent, vel reprehenderentur, vel saltè nō laudaretur: at benè est, ut sciamus, cum aliqua noua, & non valde probabilia cernimus, fieri posse, ut non solum bona, sed excellentissima quoque bona sint: quæ certè sinceritas in ferendo iudicio Virginis filios magnopere decet: & per se ad cordis pacem, & charitatem proximorum alendam vtilissima est.

16. Ad statum nostrum quamdiu Spiritus sanctus impulsu aliquo peculiari nō mouet, quod ex donorum doctrina fratres



fratres nostri excerpere debet, expedi-  
tio est: vt scilicet, qui vncti oleo sunt, ne  
desideant, sed à Spiritu velocius moue-  
ri curent: quod animi coaptatione, per  
opera bona consequentur.

17 Vnum verò summopere commen-  
damus: vt timorem Dei studiosissime  
seruent, ac meditationibus augere ni-  
tantur: si enim sapientiam paraturi ve-  
nerunt, & initium sapientiæ est timor  
Domini, & si corpore in claustro ver-  
sentur, nisi timere discant, spiritualementem  
culturam nunquam incipient: tantum  
abest, vt proficere possint.

17 Vt autem timorem hunc salutarem,  
è quatuor nouissimis tria potissimum,  
monte scilicet, iudicium, & infernum,  
sua vocationis initio alta mente conci-  
pian: communesq; meditationes huc  
admodum conferentes frequentius le-  
gant: cum enim nondum ij sint, qui

amore solo duci possint, gra-  
uiter errabunt, si timo-  
ris cura deposita,  
altum sapere  
velint.